Quelle: http://manuscripta.at/?ID=26285
Copyright: Admont, Benediktinerstift

in lacum iniquam eterne dampnationis ita intromittet. ita potentia sua
malicie et nequicie eorum machinamenta ad inbecillum rediget. ut nullam
sollicite perversitatis arte contra electos dei exercere valeant. sed pro illatis
temptationum molestiis ignis inextinguibilis hereditas eorum in eternum
fiat. SERMO IN PALMIS.

VENERANDA DIES HODIERNE FESTIVITATIS
dies inquam palmarum. ea de causa magnificis a sancta ecclesia
recolitur laudum preconiis. quia hodierna die venienti domino
Ierosolimam. cum palmis obviam processerunt filii hebreorum. Hec
est enim dies preclara. in qua ipse qui salus totius humani generis advenerat.
ad opus nostre redemptionis. ad superandum videlicet hostem antiquum se ipsum prepa
rabat. suis in hoc fidelibus relinquens exemplum. qualiter de adversario
triumphantes. gloriam adipiscantur celestium gaudiorum. Quod autem turba
illa. cum tali domino occurrit gloria. ea maxime fuit causa. quod lazarum in
comitatu habebat. quem ipse quatriduanum a mortuis suscitaverat.
In illa processione corporaliter et visibiliter tunc aderat dominus. confidimus autem
et speramus. quod et in nostra hodierna processione adesse invisibiliter dignetur
in misericordia et miseratione. in qua non unus sed multi inveniuntur lazari.
quos ipse per penitentiam conversos. de morte anime ad vitam reparavit.
quod revera maius et gloriosius divine est opus misericordie. Hec autem magnifica
dominice passionis et triumphi gloria. in multis sacre scripture locis
licet obscure est presignata. de quibus unum referimus memorabile. quod presen
ti sollempnitati non incongrue videtur convenire. Fecerunt filii israel malum
in conspectu domini. qui confortavit adversum eos eglon regem moab. servieruntque
ei decem et octo annis. et postea clamaverunt ad dominum. Eglon vacca eorum di
citur. Aoth vero virtus vel milicia interpretatur. Per eglon regem moab hostis